DISSERTATIO PHILOSOPHICA
DE
ANATOCISMO
JURE NATURÆ NON PRORSUS ILLICITO

QUAM

PERMITTENTE

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN ACADEMIA LIPSIENSI,

PRÆSES

M. MARTINUS GOTTLIEB KERSTAN,

ET

RESPONDENS

JOHANNES DANIEL RITTER

VRATISL.

H. L. Q. C.

PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTUNT,

AD DIEM VIII. SEPT. MDCCXXXI.

LIPSIÆ,

TYPIS GABRIELIS TROGII.

§. I.

NEminem in tota hac rerum universitate invenies, qui non & plures & pauciores habeat vires. Agnoscis sapientiam Dei, qui earum auctor est. Si vel omnibus, vel saltem aliquibus pauciores tantummodo datæ fuissent vires, quid homine miserius? Ea enim est vera miseria, si nemo adsit, qui ad angustias redacto succurrere queat. Etsi etiam non omnes ea difficultate premerentur, forent tamen aliqui, qui essent infelices: quis enim egenti auxiliatrices præberet manus, sit pravis libidinibus suis addictus, rationive locum relinquens? Nam & hic intel-

ligit, Deum velle ut & ipſi bene ſit. Ea de cauſſa ipſum inſtruxerit ſufficientibus mediis: incaſſum vero illæ perirent, ſi aliis tantummodo impenderet, nec quicquam viciſſim acciperet. Ergo in omnibus quoque hominibus, etiam in abjectisſimo datur copia virium, quibus alterius indigentiam ſublevet. Florebit ergo amicitia inter mortales, ut alter alterius auxilium, cum egeat ſperare poſſit. Jam omnes, quibus virium copia eſt, deberent egenti ſuccurrere, quia vero magis atque magis extolleret caput malitia, quod quidem promti eſſent in accipiendo, admodum vero ſegnes in reddendo, non potuit non fieri, quin quilibet ita ſibi proſpiciat, ne, cum opus habeat, quidquam ipſi deſit. Ergo etſi ita eſſe debuiſſet, ut qui indigeret, ad divitem confugeret, eumque aliis viribus, quibus dives caret, juvaret, tamen quia plauſibilem prætextum excogitare potuiſſet, quo ſe obligationi naturali ſubtraheret, inveniendum fuit tale quoddam, quo nos de alterius ope jam certi eſſe potuerimus.

§. II.

Hæc præmittenda duxi, ut quod mihi nunc propoſuerim, ſtadium facile decurram. Nam dominium, pretium, uſuræ res erunt injuſtæ, niſi debitorum habeas rationem. Ulterius nihil nunc quidem moror illas ſpecies, neque etiam uſuras, etſi quidem earum aliquam ſpeciem ſub examinis incudem revocandi

candi

candi est animus. Vereor enim, ne disputationis modus expleretur prius, quam ad id venirem, cujus caussa rem adgressus sum. Nec hodie facile quisquam audiet eos, quos in scenam produxit BODINUS *in Dissert. de usuris ultra quincunces licitis cap. II. §. 3. 5.* quibus usuram facere est scelus. Per se enim corruunt, quæ adferunt. Dicunt: fieri per injuriam, & legi naturæ esse contrarium, illa, quæ quis non dedit, ab altero exigere; cum potius eadem naturæ lege in casu possibilitatis aliis prodesse jubeamur. Præterea, quod creditor pecuniæ numeratæ dominium in debitorem transferat, ut non nisi ex utentis industria fructum ferat, sicque æquitati parum conveniat, creditorem ultra sortem aliquid percipere de alterius industria. Sed quis non videt, quam fragili talo hæc nitantur? Unde quæso lucrum ei enatum fuit, enascive potuit? Num id obtinere potuit sine meo auxilio? Si potuit, cur illud imploravit, cur non antea sibi acquisivit? Si non potuit, certe ipsi dedi. Etsi enim lucrum ipsum haud dederim, dedi tamen caussam & medium, quo ejus fiat particeps. Ergo ei dedisse omnino censendus sum. Videri tamen poterunt VINCENTIUS PLACCIUS *Disp. de Jure Naturali Usuræ Hamburgi in Gymnasio An. 1695. habita.* JOH. G. ABICHT *Disp. de Usura licita, Lips. 1700. aliique.*

§. III.

Omnium maxime male audit Anatocismus, qui

veteribus æque ac nostris legibus, sæpe fuit vetitus. Quod, ut debet fieri, mecum altius repeterem, inveni quidem rationes sat graves, cur hinc & inde ejectus fuerit ex civitatibus; sed etiam, si rationes illæ desint, eum nihil vitii alere, nec quidquam vetare, cur non etiam nostro tempore sit permissus. Nostrum ergo duximus paullo penitius rem inspicere, nostraque argumenta in medium ponere, ut de eo doctorum opiniones expiscemur.

§. IV.

Nobis ergo *Anatocismus sunt usuræ, quæ apud eundem debitorem remanentes, alias ferunt usuras, ne creditori, absentia usurarum, aliquæ vires pereant.* Usuras esse per se patet, quia debitor creditori ob commodum ipsi permissum aliquid reddit. In hoc differt ab aliis usuris, quod apud debitorem eundem remaneant, vicemque sortis præstent, cujus caussa aliæ usuræ pro his usuris exigantur; non item aliæ usuræ, quæ sive justo tempore pendantur, sive remaneant apud debitorem, sortis respectum non habent. Finis est, ut ne creditori absentia usurarum aliquæ vires pereant. Poterat enim lucrum ex acceptis usuris capere, quod deficit, si apud debitorem manent. Pereunt ergo illi vires, quæ resarciuntur, usurarum usuris solutis.

§. V.

§. V.

Juvabit nunc, poſtquam ſemel Anatociſmum contemplati ſumus, rem propius inſpicere. Quod enim in majus crevit, facilius cognoſcitur, ſi diſceſſit in partes. Retulimus Anatociſmum inter uſuras. *Sunt autem uſuræ commoda, quæ in creditorem a debitore redundant, ut mutuo dati fructus creditori compenſentur.* Percipit debitor ex re aliena, (ea enim de cauſſa mutuum ſumſit) fructum, quem antea non habuit. Datur id ei a creditore, qui, poſtquam illas vires ei conceſſit, pauperior redditus fuit. Nihil vero dedit ſummum Numen homini, unde cuncta accepimus, niſi ut ei bene ſit. Deeſt tamen nunc pars mediorum ſalutis ſuæ curandæ. Etſi enim ea in re abundet, etſi Crœſum divitiis ſuperet, laborabit alia in re. Jam niſi haberet, unde aliorum vires, cum eget, ſibi redimat, nemo ei ſuccurreret, immo, poſtquam dominia & pretia rerum inter res humanas invaluerunt, nemo ſuccurrere debet, niſi easdem anguſtias incurrere velit. Ergo vires compenſandæ ſunt creditori, qui caret lucro, quod ex mutuo dato haurire potuiſſet; hoc eſt, ſolvat uſuras, non quidem tantas, quantæ percipi poſſunt. Nam etiam præmia induſtriæ eſſe debent. Ipſam tamen ſummam uſurarum pendendarum conſtituere, hoc eſt opus juris cujusque civitatis. Nec obſtat debitorem nullum feciſſe lucrum rebus noſtris, imputet

igna-

ignaviæ ſuæ, dummodo mutuum ita comparatum fuerit, ut lucrum recte utendo inde capere potuiſſet. Obligatus eſt itaque debitor naturaliter, cui creditor mutuum dedit, ut creditorem participem faciat lucri, quod re noſtra ſibi paravit, ſive parare potuit.

§. VI.

Remanent tales uſuræ apud debitorem. Venit dies uſurarum, nec ſolvit, quid tunc facit debitor, retinet, quæ ejus haud ſunt? Lædit creditorem, qui acceptis uſuris novum lucrum ſibi parare potuiſſet. Quid autem differt, uſuras pendiſſe, & rurſus iisdem mutuo ſumtis, tanquam alia ſorte; an uſuras tecum retinueris, ſortique adjeceris. Et ſic quoque corruunt diſſentientium rationes, ſc. quod natura non patiatur, ut eadem res ſit principalis cauſſa & acceſſio, acceſſionis non dari acceſſionem, cum alias daretur proceſſus in infinitum naturæ inimicus, utpote quæ inſuper fragili nituntur fundamento. Ambabus quippe, quod ajunt manibus largimur, eandem rem eodem tempore naturaliter non poſſe eſſe principalem cauſſam & acceſſionem, exinde tamen non ſequitur, non poſſe eſſe diverſo tempore, quod contingit in anatociſmo. Uſuræ enim ſolutæ, ſive quarum dies venit, pro acceſſione ſunt habendæ, quia vero ita ſunt comparatæ, ut utendo novas producere poſſint, non video, quare tunc non dici poſſint cauſſa principalis, ſive maneant apud eun-

eundem debitorem, ſive ſolutas alii mutuo dem, tanquam novam ſortem, cum quo aſſerto quoque convenit *Gloſſ. ad l. 28. C. de Uſuris.* GODOFR. *ibidem in not. lit. Q* & COTHMANN. *Vol. I. Conſil. 18.* qui quoque ſtatuunt, uſuras uſurarum licitas eſſe, quia uſuræ ſolutæ, vel termino elapſo debitæ, non eſſent amplius uſuræ, ſed ſors principalis.

§. VII.

Novas hinc ferant uſuras uſuræ apud debitorem remanentes. Abeſt enim creditori medium, quo vires ſuas augere, rerumque ſuarum fructus facere poſſet. Læditur ergo creditor. Nemo autem eſt lædendus, nec cum alterius damno locupletior fiat. Ergo nihil vitii, quantum quidem nobis perſuademus, alit abſolute ſpectatus Anatociſmus. Faciunt nobiſcum CAGNOL. *Card. Tuſch.* MENOCH. BURSAT. BERLICH. *part. 2. concl 38. n. 33.* aliique, quorum tamen omnium meretur maxime HUGO GROTIUS, ut ejus verba *ex J. B. & P. lib. II. c. 12. n. 22.* huc adponantur: *Uſuræ*, inquiens, *ſi quidem vere ſtant intra compenſationem ejus, quod abeſt, aut abeſſe poteſt, non pugnant cum naturali aut Divino jure.* Jam vero uſuræ uſurarum non ſolutarum ſtant intra compenſationem illius utilitatis, quam nobis parare potuiſſemus, ſi fuiſſent ſolutæ, ergo non pugnant cum naturali aut divino jure.

§. VIII.

Ita quidem nobis videtur Anatociſmus, cujus tamen longe alia facies eſt, ſi Romana jura intuemur.

 Nam

Nam *l. ult. C. de usuris* nobis eum ita sistit, quod fit usuraria pravitas, qua usuræ a creditore in sortem per stipulationem, vel hodie per alium contractum rediguntur, ut apud debitorem novas usuras quotannis pareant, ab Imperatore sub pœna prohibita, ne fraus antiquis legibus ponatur, & ut in publicam utilitatem injusta fœneratorum fraus coerceatur.

§. IX.

Hæc in scenam protrahentes propria vineta cædere videbimur. Liquido enim adparet, vetitum esse Anatocismum, & tamen nos ejus defensionem parare. Cave ergo credas, nos legibus earumque latoribus doctiores nos velle videri; immo sanctissime ac devotissimo cultu eos prosequimur. Habuisse habereque adhuc principes justissimas caussas, de quibus Anatocismum interdicant, nulli dubitamus. Sed etiam olim habuisse, nemo negabit, nisi qui historiæ expers est. Pro regula in ejusmodi rebus semper duxi effatum Sexti Cæcilii apud GELLIUM *Noct. Att. XX.1.* quo Phavorinum laudat de optime redditis decemviralium legum abrogatarum rationibus: *Non profecto ignoras legum opportunitates, & medelas pro temporum moribus, & pro rerum publicarum generibus, ac pro utilitatum præsentium rationibus, proque vitiorum, quibus medendum est, fervoribus, mutari, atque flecti: neque uno statu consistere, quin ut facies cœli & maris, ita rerum atque fortunæ tempestatibus varientur*, quod & L. Valerius apud LIVIUM XXXIV.6. & Valerius Messalinus apud TACITUM *Ann. III.35.* ulterius iverunt probatum.

§. X.

§. X.

Olim in Republica Romana in usu fuisse Anatocismum, si non aliunde, certe ex CICERONE ad *Att. V. Ep. 1.* est videre, nec Scaptio vitio vertitur, quod centesimas cum Anatocismi annniversario exegerit; utique, quod quaternas voluerit: Immo Ciceronem edicto tralatitio id observaturum esse, docemur. Quo tamen tempore invaluerit Anatocismus, difficile erit definire. Hoc certo certius est, sub primordiis reipublicæ ignotum fuisse aut saltem vetitum, usuras usurarum postulare, si quidem opus est vetare, cum peccari nequit. Confluxerant Romam, ut testantur LIVIUS *I. 8.* FLORUS *I. 1.* DIONYSIUS HALICAR. *II. 15.* JUVENALIS *VIII. v. 272.* a Romulo nuper conditam, ex agro homines pastores, obærati, malefici, servi fugitivi, & quos flagitium aut facinus domo expulerat, indigum genus hominum: quis ergo mutuum dare debuisset, cum neuter aliquid haberet? & cui rei inserviret mutuum sumtum, cum ex rapto vivitur? Nec post exactos Reges id evenire poterat. Continuis enim bellis vexabantur tum temporis, quo pacto non solum rei suæ familiari, ut par erat, non prodesse poterant, sed insuper ignotus erat miles mercenarius, ut civium Romanorum quisque suo sumtu tenerentur ab anno ætatis decimo septimo usque ad quadragesimum septimum militem agere. LIVIUS *IV. 59.* Tantum ergo abest, ut quis usuras usurarum pendere non detrectaverit, cum ipsæ simplices usuræ graves essent. *Vetus* enim *urbi fænebre*

malum & seditionum discordiarumque creberrima caussa: eoque cohibebatur antiquis quoque & minus corruptis moribus. Nam primo duodecim tabulis sanctum, ne quis unciario fœnore amplius exerceret, cum antea ex libidine locupletium agitaretur, dein rogatione tribunicia ad semuncias redacta: postremo vetita versura. Ita in brevi quasi tabella rem usurariam veterum amplectitur TACITUS *Ann. VI. 16.* cujus fata si ulterius inquirere sit volupe, plura dabunt GERARD. NOOD *de Fœnore & Usuris II. 4.* & Consultissimus atque doctissimus veteris juris instaurator JO. GOTTL. HEINECCIUS *in Antiq. ad tit. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. §. 7. seqq.*

§. XI.

Verum enim vero, postquam res Romanæ secundiores redderentur, negotia in remotas terras exercerentur, magnumque lucrum facere poterant, invaluit, ut puto, Anatocismus, nec omnimodo prohibitus fuit, uti superiori §. ex Cicerone vidimus. Eum tamen sustulisse arbitror adversas res, quibus Romanum imperium hinc inde adfligebatur. Cui enim non constat, cum Marti litatur, non ex voto decedere commercia? Eo etiam auctæ erant usuræ, ut non solum essent semiunciariæ LIVIUS *VII. 27.* unciariæ, TACITUS *Ann. VI. 16.* quadrantes *l. 21. ff. de ann. leg.* trientes, CICERO *ad Att. IV. 15.* LAMPRIDIUS *in Alexandr. Sev. 21.* CAPITOLINUS *in Anton. Pio 2. l. 7. §. 10. ff. de administr. tut.;* quincunces, PERSIUS *Sat. V. v. 149. l. 7. §. 10. de administr. tut. l. 17. de usur. l. 102. §. 3. de solut.*

semis-

ſemiſſes, COLUMELLA *III. 3.* PLINIUS *XIV. 4. l 5. ff. de oper. publ. l. 10. ff. de pollicit. l. 17. ff. de uſur. l. 102. §. 3. ff. de ſolut.*; ſeptunces, *lapis* ap. SALMAS. *de Modo Uſur. 7.* beſſes, CICERO *ad Att. IV. 15. l. pen. C. de uſur.* dextantes, *marmor* ap. SALMAS. *c. l.* deunces, PERSIUS *Sat. V. v. 149.* centeſimas, SIDONIUS APOLLINARIS *IV. Epiſt. 24. l. 40. ff. de reb. cred.* GRUTERUS *Inſcr. p. 175. n. 4.* Sed etiam binas centeſimas, CICERO *Verr. III. 71.* triplices, JUVENALIS *Sat. IX. v. 7.* quaternas, CICERO *ad Att. V. 21. VI. 1. 2.* immo & quinas, HORATIUS *Serm. I. 2. v. 12.* Nemo ergo mirabitur, hac rerum facie non fuiſſe permiſſum anatociſmum, cum eo jam progreſſi erant fœneratores, ut tantas uſuras exigerent; ſed etiam prohibitum, uti quidem tempore Ciceronis Senatusconſulto vid. eum *ad Att. V. 21* ac ſub inſequentibus imperatoribus per leges vid. *l. 37. ff. de re judic. l. 20. C. ex quibus cauſ. infam. irr.* NOOD *de Fœn. & Uſur. II. 11.*

§. XII.

Ceſſantibus itaque rationibus, de quibus in Romanis legibus interdictus fuit Anatociſmus, is admittendus viſus nobis fuit in civitate, in qua uſuræ ad modicam quantitatem ſunt redactæ, commercia florent, & quisquis recte utendo pecunia mutua ſumta in dies fere ſingulos utilitatem ſuam promovere poteſt. Modo locus relinquatur monitis PUFFENDORFFII *de Officio hominis & civis I. 15. §. 11.* uſuræ fuerint modicæ & reſpondentes lucro, quod alter

alter ex pecunia, aut alia re credita facit; meoque damno & lucro cessanti, quod ex absentia rei meæ capio; & non exigantur ab hominibus tenuibus, apud quos mutuum vicem eleemosynæ subit. Idem *de Jur. Nat. & Gent. V. 7. §. 8.* non contineant usuræ iniquam oppressionem & arrosionem egenorum, sed respondeant lucro, quod ex nostra pecunia debitor capit, ubi præsertim hic non tam necessitatis, quam lucri faciendi caussa mutuatus fuerit.

§. XIII.

Absolute ergo si spectes Anatocismum, justissimum eum invenies. Nemo enim damno alterius locupletior fiat; fit autem illud omnino, cum usuræ non solvantur ei, qui mutuum dedit. Hic enim acceptas usuras iterum vel pro sorte alii dare, aut alio modo in usum suum convertere potuisset; quod iis absentibus fieri nequit. Quapropter sive pactum antecesserit exactionem usurarum usurarum, nec ne, dummodo antea quantitas usurarum conventione determinata fuerit, qualem conventionem, licet jura humana ad usurariam pravitatem referant, jure naturali licitam esse & subsistere agnoscit meritis in jurisprudentiam legislatoriam, consultatoriam & judiciariam vere ILLUSTRIS GRIBNERUS *Princip. Jurisprud. Natural. IV. 3. §. 6.* quin immo idem Auctor alleg. loc. n. 3. expresse asserit: naturaliter non centesimas tantum licitas esse, sed quantascunque, si fuerint promissæ. Etsi autem, quem excitavimus testem non nisi de usuris sim-

ſimplicibus loquatur, & quod earum quantitas pacto determinari debeat; inde tamen haud perperam concludi arbitror, ſimplices uſuras non ſolum, ſed etiam de his iterum novas uſuras juſtisſime mihi deberi, licet tale pactum ad uſuras uſurarum ſolvendas non præceſſerit, uti quidem ipſe *Ill. Vir. c. l.* anatociſmum æquitati minime repugnare adſerit.

§. XIV.

Porro ex eodem principio fluit, juſtisſimas mihi deberi uſuras uſurarum, ſive lucrum debitor inde ceperit, nec ne. Quia enim uſuræ ſunt media ad obtinendum finem Dei, quem jam indicavimus, neceſſe eſt, debitorem illis ſic uti debere, quo finis iſte obtineri posſit: quod ſi vero non fecerit, ſibi ipſi imputet culpam in non recte utendo commiſſam. Nam ſi debito tempore exſolviſſet, certe is finis a creditore fuiſſet obtentus, cui alterius negligentia minime noxia eſſe debet; ut nihil dicam, quod ſic gravisſime peccaretur contra æqualitatem, quam Jus Naturæ intendit. Creditor enim magnam pecuniæ ſummam mutuam dans debitori, brevi tempore ad incitas adigeretur, ſi plane carere deberet omni emolumento ex uſuris ipſi debitis. Nam cum uſuræ, quorum dies venit, tunc ſortis vice funguntur, ita proprie quæ de his præſtantur, uſuræ uſurarum dici nequeunt, cum quo conſentit FRANZK. 2. *Reſol. 10. n. 38. - 40.* & MÆVIUS *part. 4. dec. 313.* qui ex æquitate admitti vult uſurarum uſuras, quando creditoris vere interfuit juſto tempore percepiſſe, minus enim ſolvit, qui tardius ſolvit *l. 12. §. 1. ff. de V. S.*

§. XVI.

§. XV.

Nec tantummodo ſolvit minus, ſed alteri commodum ſurripit, præſertim cum creditor eſt perſona miſerabilis, ut orphani, viduæ, vel alii quicunque, qui ex uſuris vivunt. Talibus pro præſtito officio, quo nihil turpius, redditur afflictio: aut enim calumniis inſultibusque aliorum, quibus ære alieno obſtringuntur, ſunt obnoxii, adeoque ipſis vita tot ærumnis plena redditur miſerior; aut etiam eo adiguntur, ut, quo aliis ſatisfiat, nomen locent, eaque de cauſſa uſuras pendant. Ita vero perit omnis fructus, quem ex ſua pecunia percipiendi jus fasque erat. Ergo vel in pœnam de malitia, ex qua plerumque debitores uſuras retinere ſolent, ob inflictum creditori damnum dare deberet uſurarum uſuras; neque a juſtitia alienum eſt. Intereſt enim reipublicæ, ne malitia foveatur, quin potius ſupprimatur, ne altius extollat caput, civibusque inferatur damnum. Cavebunt ergo ſibi mali homines, ne bonis obſint, quia preſſo pede, anatociſmo permiſſo, poena ſequatur delictum: nullaque erit injuſtitia, in compenſationem hujus damni uſuras uſurarum debito tempore non ſolutarum exegiſſe.

§. XVI.

Neque hæc, quam agimus, apologia Anatociſmi legibus adverſa videtur. Inter omnes quippe conſtat, iis nihil juſtius eſſe, quam intereſſe, ut vocant, moræ poſtulare. Illud tamen omnino eſt moram inferre rebus meis fruendis, cum juſto

tem-

tempore usuræ mihi haud solvantur. Ergo pari passu ambulari videntur interesse moræ & anatocismus; hoc est, utrumque legibus, nisi expresse contrarium adsit, non adversari. Adserimus hoc eo audacius, quo magis alii a nostris partibus stant. Meretur adnotari præjudicium, quod Scabini nostri Lipsienses dederunt. Transscribamus illud ex CAROLI GUILIELMI REYHER *Disp. de Anatocismo Altdorf. 1698.* habita: So möchte nur in dem ersten Fall (wenn nemlich die Zinnsen, ehe sie würcklich bezahlet, betrüglicher Weise zum Capital geschlagen werden) ein strafbarer Anatocismus begangen, in den beyden letztern aber (wenn die Zinnsen würcklich bezahlet, und der Schuldner bey eben diesem seinem Gläubiger gleich so viel, als die bezahlten Zinnsen aufs neue gegen Verzinnsung borget, ingleichen, wenn der Schuldner das Geld zu denen Zinnsen in Bereitschafft hat, und solche dem Gläubiger zu vergnügen im Begriff ist, und ohne einige Gefehrde, diesen, ihm als ein zinnßbares Capital solche innen zu lassen, ersuchet) daß dergleichen geschehen, nicht dafür gehalten, sondern dem Gläubiger die bezahlte Zinnsen hinwieder als ein Capital dem Schuldner auf Zinnß zu leihen, oder auch selbigen solche inne zu lassen, und darüber eine neue Verschreibung zu nehmen wohl verstattet werden. V. R. W.

An Carl Wilhelm Reyhern,
Advoc. zu Zwickau

M. Majo 1698.

§. XVII.

Adsunt & aliæ caussæ, quæ pro defensione sententiæ nostræ faciunt. Solamen creditori est, pereunte sorte, accepisse usuras, ut fere interdum, cum summa per multos annos mutua data fuit, sortem exæquent. Tanto vero major est jactura, quanto minus usurarum accepit, iis sorti per Anatocismum sin-

gulis annis, cum dies venerit, adſcriptis. Permittendum ergo eſſe arbitramur creditori, ut ſpe novarum uſurarum damnum, quod imminet, minuatur. Immo rem debitorum agi judico, cum forte accidat, ut, ſi uſuras non teneantur ſolvere, cum dies venit, longe majus lucrum facere queant, nec tamen opus habeant, novum æs alienum contrahere. Liberi etiam erunt debitores a moroſis creditorum ſuorum exactionibus uſurarum, cum dies venerit, denuo illæ reſpectum habeant novæ ſortis, nec inde detrimentum capiant creditores. Faciliores quoque invenient creditores, qui ſæpe nolunt pecuniam ſuam aliis mutuam dare, quia eis tot moleſtiæ ex exactione cum ſortis tum uſurarum creantur.

§. XVIII.

In hunc ergo modum Anatociſmum exercens, vix ac ne vix quidem pro fœneratore eſt habendus; utpote qui non propter inordinatam pravamque lucri aviditatem, hoc enim eſt fœnus exercere, docente CUJACIO *in Parat. ad tit. ff. de Fœn. naut.* uſuras uſurarum exigit; ſed ut compenſetur damnum inde emergens. Quapropter uſuræ hæ minime mordaces ſunt nominandæ, ſed illæ, quæ temporibus Hadriani fœneratores extorquebant a debitoribus ſuis. Moris quippe, illo imperante, erat, ut fœneratores, creditis mille aureis, ex ea ſumma eodem momento deducerent centum, & cautione nihilominus in mille aureos concepta, uſuras præterea centeſimas in ſingulos annos ſtipularentur, easque, vertente anno, in ſortem redigerent, quod genus uſurarum tenuioribus debitoribus

bus certissimam perniciem & interitum rei familiaris, adtrahebat. Vide sis CUJACIUM *Observ. XXI. 9.* & DOSITH. *Sent. D. Hadr. III. 5.* Illud enim genus hominum nos quoque damnamus, & tanquam carcinomata & pestes reipublicæ inde proscribendum judicamus. Vere enim priscæ leges, ut CATO auctor est sub init. *de Re Rust. furem dupli condemnantes, fœneratorem quadrupli*, satis docuerunt, *quanto pejorem existimaverint fœneratorem, quam furem.* Immo de his idem Cato ex indicio CICERONIS *Off. II 25.* interrogatus: *quid fœnerari? respondit: quid hominem occidere?*

§. XIX.

Ne ergo, usuras usurarum propugnantes, in idem crimen incurramus, nostra interest, ut, qua ratione dicta nostra interpretanda, sub finem moneamus. Recte enim sentit MOLINA *de Usur. Qu. 2. n. 86.* extreme pauperi, omnibusque vitæ subsidiis destituto, ac insuper morbi ætatisve vitio impedito, quo minus utilitatem sibi ex mutua sumta pecunia parare possit, a nobis ita succurrendum esse viribus nostris abundantibus; ut ne quidem sortem, tanto minus usuras, earumque usuras repetamus, quia viribus indiget. Tantum vero abest, ut hoc ad mutuum referendum, ut potius nostrum sit, cum abundamus, egeno ingenuo adesse, idque tunc vicem eleemosynæ præbere. Bifariam enim læderemus, si ultra sortem etiam usuras & harum debito tempore non solutarum iterum effluxo termino novas exigere vellemus. Ut nihil dicamus etiam stultissimum fore, velle impossibilia.

§. XX.

Ita quidem nos censemus. Volumus tamen rogamusque, qua quemque decet observantia, si qua a recta tramite aberraverimus, in regiam nos reducat; neque etiam sinistre ac præter mentem nostram, quæ proposuimus, interpretetur. Incidentes enim in doctrinam Anatocismi, paullo in ea hæsimus, deprehendimusque non omnibus rationibus destitui, quibus defendi queat. Igitur tanquam problema in medium ponendum esse duximus, neutiquam, ut foris saperemus, leges refingeremus, ac principes injustitiæ alicujus argueremus. Persuasum enim habemus, dudum veluti postliminio revocasse Anatocismum, si e republica fuisset. Sunt quippe nobis principes, qui & norunt, & in sistenda republica nunquam non salva sospiteque omnem suam operam collocant. Ea vero in re Divinum Numen eis semper adsit, & quam diutissime rebus nostris intersint, pia vota nuncupamus.

COROLLARIA.

I. Vota corpus adfligentia jure naturæ sunt prohibita.

II. Αυτοχειρία omni jure est illicita.

III. Testamenti factio est juris naturæ.